

**1993-11-02 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Proximi Mensis’**

IOANNES PAULUS PP. II

***EPISTULA DATA  
IOSEPHO ALÍ S.R.E.  
CARDINALI LEBRÚN MORATINOS  
ARCHIEPISCOPO CARACENSI***

*Venerabili Fratri Nostro  
Iosepho Alí S.R.E. Cardinali Lebrún Moratinos  
Archiepiscopo Caracensi*

Proximi mensis decembris die undevicesimo sollempni celebratione commemorabis, Venerabilis Frater Noster, sacerdotalis ordinationis Tuae quinquagesimum diem natalem; laetitiam, qua ipse, clerus, populus catholicus Caracensis afficiemini, Nos per hanc Epistulam communicare cupimus simulque Tibi tot annos apostolicae sollertiae et operae vehementer gratulari. Anni enim illi fuerunt ita fecundi, ut aegre eorum fructuum memoria repetatur. Nec aliter esse potuit. Firmiter namque fundamento nisus christianarum, presbyteralium episcopaliumque virtutum, humanis quoque facultatibus praeditus insignibus continenter animum ad munus Tuum exsequendum intendisti, adeo pastoralis conscientia impulsus, ut Domini operarius evaseris impigerrimus, numquam egregie factis contentus, sed semper nova persequens. Idcirco, ubicumque sacrum explevisti ministerium, omnes Te admirati sunt Pastorem Christi imaginem exprimentem, fidelium boni studiosissimum, quoad animas, quoad corpora, ipsis difficultatibus regiminis tum dioecesium Maracayensis et Valentinae in Venetiola, tum amplissimae archidioecesis Caracensis, quam in praesens regis maiorem. Hinc quaedam incepta magni momenti ad vitam christianam et sociale fovendam peropportuna: Vicariatus pro Iuribus Humanis, crebri apud Auctoritates legitimas interventus et apud instrumenta communicationis; hinc Caritatis dioecesanae conatus, quae magnopere curat ut pauperiores in aliquo opere sint; hinc Missio Permanens ad novam evangelizationem efficiendam; hinc impulsio ad Secretariatum Actionis pastoralis familiaris, qui firmis animosisque pressibus fecit ut quaedam scripta legis abolerentur humanae vitae insidias molientia; hinc Ecclesiae apertio apud Studiorum Universitatem Catholicam Caracensem et institutio Centri Pervestigationum Historicarum Ecclesiae in Venetiola; denique auxilii spiritualis praebitio per curionum munera non solum in Studiorum Universitate Catholica, verum etiam in Publica. Sed ex iis, quae hic breviter diximus, Venerabilis Frater Noster, ille clarissime patet, qui in omni christiano, sed paesertim in omni sacerdote, omnium rerum maximus est: Dei et eius Ecclesiae altissimus amor. Hunc in Te potissimum admiramur; hunc ante omnia adhortamur ut colas, tamquam vitae sacerdotalis divitiarum praecipuum fontem. In hoc amore coniuncti Te Domino commendamus, ut diu Te servet, large remuneretur, Tibique Apostolicam impertimur Benedictionem, benevolentiae Nostrae sincerum testimonium, quam optamus cum omnibus adiutoribus Tuis cumque archidioecesis Caracensis Christifidelibus communices.

*Ex Aedibus Vaticanis, die II mensis Novembris, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri sexto decimo.*

IOANNES PAULUS PP. II